

39.

DE
COLLVIE VERMINOSA
QVATENVS
CACOCHYMIAE CAVSSA

BENIGNITER ANNVENTE SVPREMO NVMINE
EX AVCTORITATE GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN REGIA FRIDERICIANA

PRAE SIDE
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRUSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINA ET PHILOSOPH. NATVR. PROFESS. PVBL. ORDINARIO
FACVLT. MEDICAЕ SENIORE, REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,
IMPERIALIS ACADEMIAЕ NATVRAE CVRIOSORVM PRAE-
SIDE, ET REGIAR. SOCIET. SCIENTIAR. ANGLICAN.
BEROLINENS. ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS

SOLLEMNITER CONSEQVENDO

DIE XI. MARTII A. R. S. CI^o IO CCLXV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

FRIDERICVS PETRVS BOVSANQVET,

PETROPOLITANVS.

HALAE AD SALAM

STANNO GVRTIANO.



COLLAIE AERMINOSA
COCCHYMIER CASSA

GALENVS

Libr. de Medico Cap. VIII.

Proinde rerum naturae cognitio necessaria est hoc potissimum nomine, quod, nisi
naturalibus antea cognitis, ea, quae ex naturali habitu recedunt, cogno-
fcere queas nunquam: nam praeter illorum naturam morbi consistunt.
Causarum vero et morborum notitia non minus et ipsa desideratur, ut
affectionum origines, quibus resistere conuenit, intelligamus.

PRO GRAADA DOCTORIE

HEDERICAS PIRAE BOA VNGAHT



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA,
DE
COLLVIE VERMINOSA
QVATENVS
CACOCHYMAE CAVSSA

§. I.

Instituti expositio.



Licet non deficiant Auctores, qui ad describendam historiam de Colluie verminosa operam adhibuerunt suam, ibi demque simul mentionem aliquam huius momenti iniecerunt, quod inde massa humorum in C. H. diuersimode mutari possit: tantum tamen abest, ut hoc ab illis satis explicate dictum sit, ut potius complura adhuc restent, hoc in arguento diligentius euoluenda, vi-

A 2

busque

busque medicis melius accommodanda. Non ideo prorsus inutilem me suscepisse laborem iudicau, si hoc argumentum dignum reputarem, in quo elaborando nunc vires periclitarer meas; cum iam a me publicum Specimen eruditio[n]is meae exposcunt Statuta academica. Totus in eo esse curabo, ut in pertractando hocce argumento eo ordine, iisque principiis vtr, quibus vis aliqua inest ad conuincendum; nec non breuissime solum tradam omnia, de quibus fusi[us] differi facile posset; tandemque multa consulto praeteribo, quae aliqua ratione ad hanc materiam pertinere videntur; nunquam vero omisis iis, quae alicuius ponderis forent: alias enim praesens haec Dissertatio in nimiam excreceret molem. Interea, beneuole Lector, si tibi minus haecce arideant: scito, me iuuenem ea scripsisse, bonaque spe praelucere imposterum; sin minus, coelum digito me attingere existimabo.

§. II.

Morborum fluidorum fundamentum.

Ex physiologicis satis certum est, humores corporis humani constare ex partibus terrestribus, oleosis, aqucis, et ex partibus denique saliniis. Omnes hae partes, in requisita proportione praesentes, insimulque qualitatibus decentibus praeditae, via cum modo determinato, quo illae inter se iunguntur, mixtionem humorum, cum sanitatis statu congruentem, constituant. Sed iste status massae humorum per varias res, easque modo externas, modo internas, in corpus nostrum agentes, mutari potest in contrarium, ita ut, praeter varia viaria motus progressiui fluidorum, illae horum partes, quae abundare non debebant, iam abundant, eae vero, quas magis deficere oportebant,

superad

bar,

bat, nunc potius quantitate increscant, atque inter singulas partes miscibiles longe diuersus a priore cohaerendi modus obtineat, totaque tandem massa humorum contrahat pravas qualitates, easque aduersas sanitati.

§. III.

Definitio Cacochymiae.

His itaque praemissis, facili intelligi potest negotio, casu nimirum posteriore oborto (§. anteced.), generatim quoque oboriri debere *morbum fluidorum* (per princip. Pathol.), cuius adeoque speciem necessario constituet *Cacochymia*, tamquam morbus, ad vitiosas humorum qualitates relatus.

§. IV.

Consecarium.

Laesam ergo humorum in corpore humano mixtionem Cacochymia supponat, necesse erit (§. anteced.).

§. V.

Vnde *Cacochymiae species*?

Depravata humorum corporis humani mixtione fieri aliter non poterit, quam ut in illorum massa satis notabiles prodeant qualitates, quas modo ad spissum, modo ad putridum, modo ad acre, modo ad rarefactum reducere licet; id praecipiente Pathologia. Pro diversitate igitur harum qualitatium, quae in massa humorum corporis humani conspicuae fieri solent, *Cacochymia varias* quoque *sui species agnoscet*.

§. VI.

Scholion.

De singulis hisce Cacochymiae speciebus nunc differere conveniet, priusquam a me exponatur, quod illarum quoque ortui colluvies verminosa haud parum favere possit. Nam sicuti hoc principium cognoscendi in doctrina pathologica admodum congruum est, quando scilicet ab effectuum et caussarum morbi similitudine ad morborum species ducitur argumentatio: ita eundem quoque ordinem in praesente tractatione sequi, congruum erit.

§. VII.

Effectus in spissitudine humorum quales?

Effectus spissitudinis humorum ad sequentia potissimum reduci possunt momenta: fieri, scilicet, poterit, ut ibidem oboriantur stases, praesertim in vasibus minimis; ut vasa inaequaliter distendantur; ut pulsus reddatur durus et inaequalis; cor frequenter palpitet; se- et excretiones naturales impedianter; somnus reddatur inquietus; pallor in facie compareat; tandemque extrema corporis loca ad sensum frigida deprehendantur. Quorum omnium rationes ex §§. sequentibus intelligere licet.

Nam de eorundem effectuum existentia in casu proposito satis per observationes constat, id inter alia testantibus exemplis melancholicorum, tanquam sanguinem spisum alementum.

§. VIII.

Cur ergo stasis, praesertim in vasibus minimis?

Motum humorum progressuum a vasorum in fluida, atque a fluidorum in vasa actione proportionata dependere, in physiologi-

logicis docetur Sed humoribus in corpore humano admodum inspissatis, necesse erit, vt illis inde tanta vis inertiae accedat, quo minus vis vasorum sufficere posit ad illorum motum ex uno vase in aliud decenter perficiendum. Exinde ergo quies fluidorum, consequenter illorum *stases* oboriri debent. Ad rationem vero quod spectat, cur, praesertim in *vasis minimis*, *stases* siant, ea imprimis in hoc latet, quoniam *vasa*, quae remotiora sunt a corde, aliis respectie debiliora sunt, hinc etiam minorem in fluida spissa exercere possunt actionem (§. anteced.).

§. IX.

Cur vasa inaequaliter distendantur?

Cum pro vasorum conditione, vt ex §. anteced. patet, stases in aliis citius, in aliis vero tardius oboriantur: hinc *distensiones vasorum inaequales necessariae* etiam erunt (§. VIII).

§. X.

Cur pulsus durus et inaequalis?

Fluida spissa, vt ex hydrostaticis experimentis constat, notabili pollut elasticitate, ideoque etiam aliquem duritiae sensum excitare videntur. Quoniam vero *pulsus durus* ille esse dicitur, qui notabili elasticitate in digitum tangentem agit; hinc de eius *existentia* hic nullum dubium erit. Sed ad pulsuum inaequalitatē, quam hic simul etiam adesse in §. VII. asseruimus, quod attinet, eius ratio sequentem in modum concipi poterit. In casibus nempe spissitudinis humorum vasa inaequaliter distenduntur (§§. VII. et IX.). Inde efficitur, vt intra diuersa tempuscula in uno loco arteriae huius dia-

stole

stole ideo differre possit, quia sanguis quantitate ibidem mox increvit, mox decrescit, immo etiam ob statim hic quoque possibilem (§§. VII. et VIII.), tandemque, ut ex sequentibus patebit, ob succedentem putrefactionem diversi gradus, vel spissior, vel rarer redditur. Sed singula haec momenta multum valent ad inducendam *pulibus inaequalitatem* (per princip. Pathol.).

§: XII.

Cur palpitatio cordis?

Propter maiorem, quam fluida spissa habent, elasticitatem, illa quoque maiori gaudent impetu. Palpitationis causa autem est sanguis, ventriculos cordis cum impetu intrans (per princip. Patholog.). Exinde igitur constare iam poterit de ratione, *cur nemppe cordis palpitationes frequentes esse soleant hominibus, in quibus humorum spissitudo obtinuit* (§. VIII.).

§: XII.

Cur se- et excretiones naturales impediantur?

Motum fluidorum progressuum determinatum ad se- et excretionis negotium requiri, docet Physiologia. In spissitudinis humorum autem casu, motus iste admodum laetus est, dum fluida ad statim, siue quietem, in vasis deducta fuerunt (§. VIII.). Hinc se- et excretionum naturalium impeditus successus ut hic adsit, necessario sequitur (§. VII.).

§: XIII.

QVATENVS CACOCHYMIÆ CAVSSA.

9

§. XIII.

Cur somnus inquietus?

Aequalem humorum distributionem ad somnum quietum desiderari, Physiologia praecipit; sed haec in humorum spissitudine deficit, dum alia vasā distenduntur, alia comprimuntur (§. IX.); cuius adeoque contrarius effectus, et consequenter *sommus inquietus, possibilis erit* (§. VII.).

§. XIV.

Cur pallor in facie?

Faciei colorem rubicundum a sanguine, per minima eiusdem vascula decenter moto, dependere, sine dubio est. Quando vero ille nimiam spissitudinem contraxit, tunc non solum in iisdem stasim concipit, verum etiam plerumque in eadem ingredi nequit (§. VIII.). Tunc igitur, *vt pallor faciei prodeat, necesse erit* (§. VII.).

§. XV.

Cur in extremis frigus?

Calorem extremonrum fanguinis decenti influxui in illorum vasā originem suam debere, in physiologicis evictū datur. Verum enim vero ex iis satis iam constare poterit veritas eorum, quae prolatā sunt in §. VIII. sanguinem nempe spissum difficulter adire vasā, praecipue minima. *Vnde frigus ibidem necessarium erit* (§. VII.).

§. XVI.

Existentia caussarum in spissitudine humorum.

Massæ humorum spissitudo ad fluidorum morbos pertinet (§§. III. et V.), eademque ratione se habet, sicuti complures alli

B

morbi,

morbi, instar effectuum, qui a determinatis causis proficiscuntur, considerandi (per princip. Patholog.). *Spisitudo* itaque humorum causis suis non carebit, iamiam exponendis in §§. sequentibus.

§. XVII.

Hinc auctae excretiones fluidorum secretorum.

Fluidorum secretorum nimis auctae excretiones causae esse possunt humorum spisitudinis. Fluiditas enim humorum C. H. a decenti quantitate fluidorum secretorum, sibi neinde et lymphae nomine venientium, massaeque reliquae admixtorum, dependet (per princip. Physiol.). Si itaque haec fluida maiori in quantitate, quam cum sanitatis statu congruit, excernuntur, aquae defectus in humoribus, consequenter eorundem spisitudo, oriri debet.

Probant id exemplo suo subiecta, quibus post largos nimisque protractos sudores, aut alii fluxiones diutius durantes, humorum spisitudinem obortam fuisse frequens docuit experientia.

§. XVIII.

Vasorum debilitas.

Vasis valde debilitatis, oriri poterit spisitudo humorum. Motum enim fluidorum progressiuum eorundem fluiditati fauere, docet Physiologia. Si igitur hic motus imminuitur, necesse est, ut fluida inspissentur. Sed cum hic motus a vasorum in fluida decenti actione depe[n]deat, et haec actio in vasis debilibus, ut in Pathologia evincitur, sit imminuta: merito concludere possumus, vasa valde debilia humorum spisitudinem inducere debere.

§. XIX.

QVATENVS CACOCHYMIAE CAVSSA.

¶

§. XIX.

Viētus magis siccus nimisque crassus.

Viētus magis siccus et nimis crassus humorum quoque spissitudinem efficere valet. Viētus enim magis siccus et nimis crassus, ob aquae defectum, maiori gaudet cohaesione, quam ut a calore ac menstruo ventriculi debito tempore in chymum bonum conuerti possit; hinc chymus eiusdem erit indolis. Chymo ita se habente, chylus necessario quoque talis esse debet, dum virtus primae culinae, iuxta Veterum effarum, non corriguntur in altera. Defertur itaque talis chylus ad massam sanguinis, cum eaque commixtus, ob partium suarum maiorem cohaesionem, per vires cordis, pulmonum atque arteriarum rite subigi nequit, hoc vero ipso totam humorum massam euadere debere spissam, satis manifesto appetet.

§. XX.

Spirituosorum acidorumque abusus.

Ex abusu tandem spirituosorum et acidorum spissitudine mafiae humorum corporis humani ingenerari poterit. Omnia enim spirituosa et acida sanguinem coagulare, chemica experimenta, cum eodem instituta, docent. Si quis itaque spirituosa et acida in nimia copia ingurgitauerit, tunc necesse erit, ut is, absentibus scilicet causis, vim admissorum infringentibus, quales exempli gratia esse possunt virae genus mobile et robur partium solidarum, sibi spissitudinem humorum contrahat.

B 2

§. XXI.

§. XXI.

Vnde diagnosis sanguinis spisisti?

Docet experientia, sanguinem spisum monstrare colorem, qui magis ad nigredinem vergere videtur. *Ex quo colore, in sanguine deprehenso, postpositis etiam omnibus illis effectibus, qui in §. VII. indicantur, satis certe colligere licebit ad praesentiam spisitudinis humorum.*

§. XXII.

Scholion.

Ab humorum spisitudine, quam hactenus cum effectibus suis et caussis considerauit (§§. VII - XXI.), ad alias iam massae humorum vitiosas qualitates exponendas transeo.

§. XXIII.

Diversitas graduum circa putredinem.

Duos esse putredinis humorum gradus, quorum alter cum fluidorum inspissatione, alter vero cum rarefactione eorum coniunctus est, experimenta cum sanguine instituta commonstrant. Nam hydrometer in sanguine, putredini per duos solummodo dies exposito, immissus, non ita profunde immergitur, quam in illo, qui eadem mutationem quatuor iam dies expertus est. Huius experimenti ope itaque colligere licet, sanguinem in primo magis, quam in altero casu, fuisse spissum, propter maiorem in casu primo, quam in altero, obseruatam eiusdem in hoc instrumentum resistantiam.

XXX. 2

§. XXIV.

§. XXIV.

Vnde putredinis effectus diuersi.

Cum putredo humorum duos differentes admittat gradus (§. anteced.), sequitur, ut effectus, a putredine humorum proficiscentes, pro illius gradu diuerso variare debeant.

§. XXV.

Effectus humorum spissorum simulque putridorum.

Effectus igitur ab illo putredinis gradu dependentes, qui humorum inspissationem sibi habet coniunctam, redibunt ad illos, qui in spissitudine humorum deprehenduntur; hic tamen semper accidente arrofione quadam in partibus solidis, irritationem et omnes illas causas, quae ad exanthematum et ulcerum productionem concurrunt, excitante: siquidem omnes morbi chronicai maligni exanthemata, vel vlera sibi habent coniuncta (per princip. Pathol.), et spissitudo humorum pro morborum chronicorum causa generatim agnoscitur. Vnde etiam iure meritoque colligere licebit, putredinem humorum, cum eorundem inspissatione coniunctam, omnium morborum chronicorum malignorum causam esse proximam.

§. XXVI.

Effectus humorum rarefactorum, simulque putridorum.

Quod vero ad effectus in putredine humorum, cum eorundem rarefactione connexa, attinet, illi iam eo redibunt. Praesente nempe illa, obseruantur exhalationes odoris vinoſi, vel alcalini volatilis; oboruntur arrofiones partium solidarum; motus humorum pro-

gressus est retardatus; non deficiunt obstrunctiones, praesertim in variis minimis, inflammationes, et haemorrhagiae; febres denique malignae cum variis symptomatibus determinantur. Quorum omnium veritas ex §§. subsequentibus satis elucescat.

§. XXVII.

Materiae indoles in humorum rarefactione et putrefactione.

Experimenta chemica, instituta in subiectis febre maligna laborantibus, vbi, prater humorum putridam constitutionem, teste Pathologia, illorum quoque rarefactione obtinet, saepius docuerunt, admoto acido volatili ad huiusmodi aegrorum corpora transpirantia, ita, ut illorum exhalationes se cum acidi exhalationibus in aere coniungere potuerint, fumum tunc aliquem subortum fuisse. Hoc ergo phaenomenon, cum sine alcali volatilis praesentia non obseruatum fuerit; hinc huius experimenti ope colligere possumus, *taliū subiectū humorū exhalationes esse alcalinæ volatilis indolis* (§. anteced.).

§. XXVIII.

Vnde arrosiones?

Quoniam sub humorū putrefactione, cum illorum rarefactione coniuncta, alcali volatile iisdem inest (§. anteced.), atque huius indolis materia, ut satis per experientiam notum est, vi rodendi pollet: nullum idcirco dubium erit, *quin in hocce casu partium solidarum arrosiones producantur* (§. XXVI.).

§. XXIX.

§. XXIX.

Motus progressiuus retardatus.

Densitatem humorum determinatam corporis humani ad motum illorum progressuum in vasibus maioribus accelerandum concurrere, Physiologia docet. Quia vero in humoribus rarefactis deest ista densitas: hinc etiam necesse erit, ut illorum motus progressiuus retardetur (§. XXVI.).

§. XXX.

Obstructiones in vasibus minimis.

Motu humorum progressuо in vasibus maioribus retardato, fieri debet, ut etiam motus, qui inde ad fluida, per vasā minima agenda, transire solet, imminuat, Physiologia id commonstrante. Hoc facto humores, ibidem coaceruati, stasim facile concipere poterunt; eaque suborta, ob putridam fluidorum indolem, fere perpetuae fient partium terrearum praecipitationes, quas itidem ad caussas possibiles obstructionis vasorum minimorum pertinere, Pathologia edocet. De obstructionum igitur existentia in vasibus minimis non erit dubitandum (§. XXVI.).

§. XXXI.

Inflammationes.

A stasisibus et obstructionibus in vasibus minimis inflammationem oriri posse, in pathologicis euictum datur; pariterque ex §. anteced. apparet, stases et obstructiones in eo putrescentium humorum casu, qui illorum rarefactionem sibi insimul sociam habet, esse possibilis.

les. *Quin igitur tali in statu inflammations oriri quoque possint, nullum dubium supererit.* (§. XXVI).

§. XXXII.

Haemorrhagiae.

Haemorrhagiae, praeter alias caussas, sibi etiam vasorum arrosionem vindicant (per princip. Pathol.). Exponit vero §. XXVIII, quod arrosio hic possibilis sit. *Haemorrhagiarum igitur possibilitas in dubium vocari non poterit; idque multo minus, cum bic simul concurrat massae humorum rarefactio* (§. XXVI).

§. XXXIII.

Febris maligna.

Ex pathologicis satis liquet, in omnibus illis casibus, vbi in corpore humano suboruntur stases et obstructiones, non deficere febrem, eamque tunc malignae indolis esse, quando simul putredo massae humorum ad intensiorem gradum progrepta fuit. Vnde conficitur, fieri omnino posse, ut in easu in §. XXVI. proposito, *vna atque altera febris malignae species proueniat.*

§. XXXIV.

Scholion.

Putrescenti massae humorum in corpore humano inest motus intestinus, per quem illius mixtio deprauatur, atque illi variae qualitates vitiosae importantur; exemplo acrimoniae atque aliorum vitiorum, quae humores ratione qualitatum suarum subeunt (§§. III-V.). Hinc sine

sine dubio erit, quod status humorum in corpore humano putrescentium ad morbos fluidorum pertineat, atque speciem aliquam singularem Cacochymiae constituat (§§. III. IV et V.). Idcirco igitur necesse erit, ut hic etiam aliae caussæ praecedant, sicuti fieri solet in aliis morbis. Sed harum caussarum conditiones aliae esse non poterunt, quam a quibus talis motus intestinus in humoribus excitari poterit, qualis requiritur ad illorum mixtionem deprauandam. De quo argu-
mento explicatius iam differendum erit in §§. sequentibus.

§. XXXV.

Humores in C. H. putrescent ob putridi in illos transitum,

*Materiarum putridae indolis in corpus humanum factus transi-
tus putredinem humorum producere potest.* Ex principiis physiologicis constat, omnem corporis humani, tam externum, quam internum am-
bitum, vasis inhalantibus vel resorbentibus esse instructum, quae mate-
riam quamcumque resorbtam, venis illam intrudendo, cum tota humor-
um massa communicare possunt. Quum vero putridae indolis mate-
riae ita sint comparatae, ut vi polleant subito concitandi motum pu-
trescentiorum in massis ad putrescendum perquam idoneis, vtpote cu-
ius indolis fluida animalia sunt; hinc eiusmodi materiae, ad corpus
humanum externe vel interne translatae, inque vasis inhalantibus re-
ceptae, motum, quo gaudent, intestinum cum humoribus communi-
care, et consequenter iisdem putredinem inferre poterunt.

C

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Ob stases.

Stases fluidorum insequi poterit eorum putredo. Physiologia enim docet, motum progressuum humorum determinati gradus per quam necessarium esse ad negotium excretionum naturalium rite perficiendum, eoque ipso ad defendendum corpus a corruptione. Ob ortis vero fluidorum stasisibus, illa quiescere debent, et motus humorum progressius si non prorsus tollitur, admodum tamen imminuitur. Hinc etiam necesse erit, ut, impeditis excretionibus naturalibus, particulae putridae indolis intra corpus retineantur, adeoque tota tandem massa humorum ad putrefactionem disponatur.

§. XXXVII.

Vnde putrefactio humorum C. H. dignosci queat?

Per obseruationes satis innotuit, succos animales, quamprimum putrefactionem subierint, foetorem spargere. Praeter diuersitatem itaque illorum effectuum, qui in §§. XXV et XXVI. exponuntur, humorum foetor, sub eorum excretione actutum obseruatus, vim significabebit, vnde ad putredinis praesentiam in humoribus satis tuto concludi poterit.

§. XXXVIII.

Scholion.

Satis hucusque mihi disputasse videor, de variis Cacochymiae speciebus, de earumque effectibus et caussis. Sequitur, ut nunc ad finem,

finem, quem mihi proposui, proprius accedam, ad argumentum praesens principia haec tenus euicta rite applicaturus.

§. XXXIX.

Quid sit colluuius verminosus?

Colluuiei verminosae nomine Medicis venit vermium diuersarum specierum, in canali praincipue intestinali corporis humani stabulantium, congeries.

§. XL.

Quot vermium species?

Vermium, in canali intestinali corporis humani frequentissime occurrentium, a Medicis tam veteribus, quam recentioribus, *tres* potissimum annotatae sunt *species*,

§. XLI.

Quorum prima species describitur.

Primam speciem constituant *lumbrici*, teretes vel rotundi alias nominati. Longitudo eorum, pro subiectorum, quibus insunt, conditione variat; plerumque tamen ad unius vel fessi palmae longitudinem accedunt, suntque eadem species, ut *Celeberr. LINNAEVS* asseruit, cum lumbricis terrestribus vulgarissimis. Hi vermes sedem suam in intestinis tenuibus, ieiuno et ileo videlicet, occupant; unde plerumque irrepunt in ventriculum, quem grauiter irritando afficiunt, dehinc per oesophagum ad os ipsum saepius ascendunt, atque ex ore hiante etiam prorepunt, quemadmodum frequens docuit experientia.

§. XLII.

Secunda species.

Secundam efficiunt speciem *vermes lati*, quorum pro duplice, quam praecipue referunt, figura, intuitu articulorum, e quibus constant, duae constitui possunt varietates. Si enim articulis catenatim inter se adhuc cohaerentibus, seminisque cucurbitae speciem prae se fermentibus, constant: tunc *cucurbitinorum* nomine insigniri solent. Si autem ex articulis, figuram magis quadratam exhibentibus, constant, *taeniarum* tunc nomen sibi vindicant. Hi vermes multo lumbricis longiores sunt, ita, ut interdum ad aliquot pedum, imo vlnarum longitudinem accendant. Huius speciei vermes habitacula sua in intestinis tam tenuibus, quam crassis, ordinarie habent.

§. XLIII.

Tertia denique species.

Tertiam denique constituant speciem *ascarides*, quo nomine veniunt vermes teretes, tenues, agiles, vermiculorum in caseis et carnis putridis occurrentium figuram et magnitudinem quadantenus referentes. Hi sedem suam in intestino recto occupare communiter solent.

§. XLIV.

Philosophorum sententia duplex de generatione animalium.

Duplex praecipue generationis animalium modus olim in Philosophorum Scholis obtinuit, alter nempe *aequiuocus*, alter *vniuocus*. Per generationis modum aequiuocum, animalia e quacunque materia corrupta

corrupta per putredinem oriri posse existimabant; per generationis modum vniuocum vero animalium ortum ex semine aut ouulis suae speciei fieri autumabant.

§. XLV.

Quaenam sententia hic praferri mereatur?

Quod vero ad vermium, in C. H. occurrentium, ortum attinet, nos, reiecta generatione aequiuoca, cum plerisque nostri aëui celeberrimis viris, operam suam historiae naturali nauantibus, reputamus, illos ex ouulis, ope esculentorum vel potulentorum, aut alia ratione ad intestina delatis, ibidem excludi. Obiicere quidem nobis poterunt aequiuocae generationis fautores incertitudinem huius originis, subiungendo quaestione: vnde deriuanda sint ouula illa, e quibus vermes in intestinis hominis excluduntur? Facili autem negotio haec quaestio a nobis solvi poterit, cum extra hominis aut animalium intestina iam reperti sint vermes, vel lumbricis, vel vermibus latis, vel ascaridibus hominum non absimiles; si exiguae, quae ab alimentorum qualitate diuersa dependere videntur, excipias differentias.

§. XLVI.

Conditiones necessariae ad ouulorum exclusionem.

Haec vermium ouula, ad intestina licet delata, ibidem cito perirent, si ad eorundem exclusionem conditiones necessariae deficerent, eo scilicet reducenda, ut *illorum ouula a variis iniuriis libera conseruentur; in loco ad sui exclusionem apto quiescant; sufficiente aere et calore temperato fruantur, tandemque animalcula exclusa debito ac-*

sufficiente non careant alimento. Singula haec membra probabit §.
sequens.

§. XLVII.

Eae non deficiunt in corpore humano.

Omnis in §. praeced. expositae conditiones in intestinis ad-
sunt. Mediante enim muco, ibidem praesente, ouula inuoluta ab acri-
monia illis nocua defenduntur; huius etiam muci ope plicis membra-
nae intestinalis internae ita adhaerent, ut moueri non possint; aer,
ut et calor temperatus, ibidem non desiderantur, et quod ultimam
attinet conditionem, chylus in intestinalibus, praeципue tenuibus, pra-
esens, exclusis dein hisce insectis in pabulum cedit.

§. XLVIII.

Subiectorum habitudo ad colluuiem verminosam.

Ex §. anteced. pater, illa subiecta, quorum ventriculo et
intestinali, ob solidorum debilitatem, plus viscidii ingeneratur, prae re-
liquis obnoxia reddi colluuii verminosae. Huc igitur, testantibus ob-
seruationibus, pertinent, infantes, imprimis voraces, immo etiam adul-
tores, morbis ex mala digestione oriundis laborantes, lacticiniorum
et dulcium abusui indulgentes, feminae tandem mensium suppressio-
nem, aut praematuram cessationem expertae.

§. XLIX.

Colluuius verminosa e quo fundamento noceat C. H.

Cum ventriculus et intestina tanto cum reliquis C.H. par-
tibus gaudeant consensu, et a Physiologis pro partibus magis prae ali-
is

is irritabilibus habeantur, ibidemque prima restitutionis, tam solidarum, quam fluidarum particularum C. H. amissarum ponantur fundamenta: manifestum inde erit, vermes, in his partibus hospitantes, diuersos functionum dissensus inferre debere, pro diuersis actionibus, quae illis, tanquam animalibus vita praeditis, attribuuntur, et quas ad sequentes reducere licebit, dum nempe hoc nomine veniunt: *motus*, quo tanquam animalia viva gaudent; *alimenta*, quibus utuntur ad suam sustentationem; *particulae putridae*, ipsorum corporibus nocuiae, quas exhalant et excernunt, ut reliqua animalia.

§. L.

Quod applicatur.

Indicatis iam actionibus, quae de vermis praedicari possunt (§. anteced.), nobis nunc inquirendum erit, *qualis* inde *effectus ad ventriculum ac intestina redire possit*.

§. LI.

Hinc laetus motus peristalticus intestinorum.

A motu vermium in intestinis horum nerui irritantur, et bac ratione efficitur, ut motus peristalticus non rite ibidem peragatur. Ad motum enim peristalticum intestinorum inter alia requiritur, ut Physiologia docet, ut intestina aequaliter atque ad determinatum gradum irritentur. Quoniam vero a vermium motu intestinorum irritationes non solum in diuersis eorum locis, consequenter inaequaliter, sed etiam ad differentes gradus fiunt: hinc etiam necesse erit, ut motus peristalticus intestinorum non rite peragatur.

§. LII.

§. LII.

Debilitas vniuersalis.

Vermes, sese nutriendo, optimam, consequenter fluidissimam Chyli partem absorbent, eoque modo efficiunt, ut ob deficientem restitutionem partium amissarum vniuersalis tandem C. H. debilitas oriatur.

§. LIII.

Quare materia a vermis sedens putrida sit?

Vermium in intestinis exhalationes et excretiones ut putridae sint, ideo necesse est, quia, in vnuerso genere insectorum, exhalationes et excretiones omnium illorum putridae indolis sunt, ob nutrimenti sui indolem, ad putredinem perquam pronam.

§. LIV.

Ortus massae tenacis.

Massa tenacis indolis in ventriculo et intestinis ob colluuiem verminosam generari potest. Massa tenax illa dicitur, quae ob defectum aquae ita cohaeret, ut gelatinæ consistenti proxime accedere videatur. Sed talis massæ ortus, in ventriculo et intestinis, dependere potest partim a concoctione ciborum non rite peracta, partim a fluidissimarum partium e chylo subtractione. Nam ad primam quod attinet conditionem, illa, ob motum peristalticum intestinorum non rite succedentem, hoc in casu erit necessaria (§. LI.); neque etiam secunda conditio, ut ex §. LII. apparet, hic deficit. Positis itaque his

his determinantibus, poni quoque debet determinatum, et consequenter ortus massae tenacis indolis, ob colluuiem verminosam non impossibilis erit.

§. LV.

Facilis massae tenacis in canali intestinali putrefactio quando oboriatur?

Massae tenaces in ventriculo et intestinis, eaque ad putredinem idoneae, ob aëris, caloris et quietis praesentiam, putrefactionem facile subire poterunt. Sub istis enim conditionibus, in massis modo indicatae indolis, motus intestinalis putrefactorius prompte contingere solet, id commonstrante Chemia. Non desiderari vero hic easdem conditions, satis certum est. Nam quis de aëris et caloris praesentia in intestinis corporis animalis viui dubitabit? Quis etiam negare audebit, quod massae tenaces, intra plicas intestinalium reconditae, cum iisdem arctius cohaerere, ideoque etiam quiescere, tandemque, cum animalis naturae sint, facilius in putrefactionem ruere queant.

§. LVI.

Eadem facilior erit in casu colluuii verminosae.

Multo magis vero necesse erit, ut massae in ventriculo et intestinali, ubi insimul vermium colluuius continetur, putrefactionem subeant. Nam ob particularum putridarum, quae massis ad putredinem pronis accedunt, copiam illarum quoque putrefactio acceleretur, oportebit (§. LIII.).

§. LVII. Quid per motum intestinum in ventriculo ac intestinis possibile?

Pro massarum in ventriculo ac intestinis conditionibus, suborto nempe in illis motu intestino, per quem mixta diuersarum species generantur, haec quoque inter se different, atque in genere referri poterunt modo ad *salem acidum*, modo ad *vrinsum*, modo etiam ad *ammoniacalem*, tamquam e duobus prioribus ortum; observationibus ac experimentis chemicis in idem consentientibus.

Quod eiusmodi diuersae species salium in massis putrescentibus C. H. viui in genere adesse possint, id sensibus palam fecerunt experimenta cum illis accurate instituta. Confer. Excell. atque Exper. D. D. NIETZKI *Element. Pathol. uniuers. Libr. II.* §§. CCCXLVIII. et CCCCLI. Quis uero dubitare ausit de putrefactionis massarum in ventriculo et intestinis possibilitate? Nonne ideo similes salium species ibidem generari poterunt? Certe! nam idem quoque confirmare videntur casus circa Sodam oborti, impressis inde gustui aegrotantium differentibus saporibus salinis.

§. LVIII.

Ortus massae acris.

In casu itaque colluviae verminosae, in ventriculo et intestinis non deficit massa acris. Etenim massa, cuius mixtio talis est, qualis obtinet in massa quadam salina, cui vis menstrua competit, esse solet acris. Sed in casu proposito eiusdem conditionis iam sunt massae, quae in ventriculo et intestinis delitescunt (§. anteced.); hinc etiam acres erunt.

§. LIX.

QVATENVS CACOCHYMAIE CAVSSA.

27

§. LIX.

Colluuiet verminosae diagnosis.

Subiecta, in quorum intestinis vermes stabulantur, plerumque habent nares oppletas; pruritum narium sentiunt, praecipue tempore matutino; in oculorum quoque tunica albuginea colorem monstrant subcoeruleum. Cum itaque haec phaenomena accurate observanti facile in sensus cadere possint, atque ita comparata sint, ut simul sumta in eo tantum statu corporis humani occurrere soleant, vbi de vermium colluuiet in ventriculo et intestinis aliunde constitit: consequens ideoque erit, *quod etiam phaenomena modo indicata sufficient ad diagnosis vermium, in ventriculo et intestinis praesentium.*

§. LX.

Generaliter morbi a colluuiis verminosae vnde?

Existente in ventriculo ac intestinis vermium colluuiet, ibidem simul adeat materia tenax (§. LIV.), putrida (§§. LV. et LVI.), acris (§. LVIII.). Sed huius conditionis materiae vis quaedam caussae efficientis sufficientis attribuenda est, vnde permulti diuersarum specierum morbi non solum ventriculo ac intestinis, verum etiam compluribus aliis partibus C. H. induci possunt, id praecipiente Pathologia. De origine itaque morborum, proposito in casu *possibilium, in genere exinde constare poterit.*

D 4

§. LXI.

§. LXI.

Scholion.

A scopo meo impraesentiarum alienum foret, omnes illos morbos specialius enarrare velle, qui sui ortum vermium praesentiae in ventriculo et intestinis debent. Nam mihi nunc saltem propositum est, congruis argumentis euictum dare, quod ab eadem causa humorum massa in corpore humano depravari, hincque una atque altera Cacochymiae species suboriri possit (§§. I. et VI.). Atque hoc ut a me rite peragatur, conueniet eam rationem in differendo sequi, quae iam indicata est in §. VI; eorumque ideo principiorum, de quibus haec tenus disputauit, congruam facere applicationem ad casum, quem mihi iam pertractandum sumisi (§. I.).

§. LXII.

Spissitudo humorum a colluuiie verminosa.

Vasorum debilitatem esse spissitudinis humorum caussam proximam, supra a me euictum est (§. XVIII.). In colluuiie autem verminosa, caussae, talem mutationem vasorum inducentes, non deficiunt; quorsum, praeter debilitatem eiusmodi subiectis iam inherenterem (§. XLVIII.), debilitas, orta a consumptione optimarum partium Chyli, iacturae partium solidarum reparandae inservientium (§. LII.), referri debet. Accedit insuper debilitas, quae a spasmodorum et conuulsione hoc in casu frequentia determinari solet. Cum itaque in colluuiie verminosa tot tantaeque caussae determinentur, ad debilitatis productionem concurrentes, et haec debilitas, dum vniuersalis est, etiam de

vasis

vasis praedicari debeat: patet, quare hoc in casu humorum spissitudo corpori ingenerari possit.

§. LXIII.

Eiusdem argumenti continuatio. Vicuum magis siccum et nimis crassum spissitudinis humorum esse caussam proximam, supra etiam dedimus commonstratum (§. XIX). Si itaque huic caussae aequipollentem aliam, in casu colluuii verminosae, adesse probari possit: tunc etiam ex alio adhuc fundamento, praeter expositum in §. anteced. ad spissitudinis humorum ortum colligere licebit. Sed eiusmodi quid hoc loco adesse, sequentia iam probabunt. Euicimus nempe in §. LIV, genesis massae, tenacis indolis, ob colluuiem verminosam non impossibilem esse in ventriculo et intestinis. Cum autem per massam tenacis indolis nihil aliud, ut ex pathologicis constat, intelligi soleat, quam talis, quae ob defectum aquae maiori gradu cohaeret, et gelatinæ consistenti proxime accedit, similisque etiam defectus aquae in viictu magis sicco et nimis crasso deprehendatur: intellectu facile erit, quod hae caussae sibi ideo substitui possint, quia inter se aequipollent. Delata igitur materia tenaci ex intestinis ad massam humorum, (siquidem eiusmodi depositiones, ob vasorum debilitatem, iuxta §. anteced. ideoque subortum in iis maius lumen, eo faciliores esse poterunt): inde quoque illi similis effectus produci poterit, de quo in §. XIX. differuimus. Hinc etiam ratione huius momenti de spissitudinis humorum ortu satis iam apparebit.

§. LXIV.

Putredo humorum a colluie verminosa.

Putredinem in humorum massa tunc oboriri, supra affirmauimus (§. XXXV.), quando nimis particulae putridae indolis ad illam per vasa resorbentia deferuntur. Sed in casu, ad colluuiem verminosam pertinente, massae putridae indolis genesin non impossibilem esse, ex §§. LV. et LVI. satis constare poterit. Ut itaque *hoc modo tota massa humorum in corpore putrida fiat, necesse erit; chylo nempe putridae indolis ad sanguinem delato, ob particularrum putridarum in primis et et secundis viis accessionem illi factam.*

In idem quoque consentit experientia, vt pote qua praeceptrice constituit, in infantibus, quorum intestinis vermes insunt, saepius prodire modo purpuram scorbuticam, modo scabiem, modo crustam laetacem pertinacissimam.

§. LXV.

Idem argumentum continuatur.

Sed et alia ratione de veritate propositionis illius, quae exstat in §. anteced. constare poterit. Nam statas ad putredinis caussas possibles pertinent (§. XXXVI.). Atque hae in casibus colluuii verminosae ideo non deficiunt, quia ibidem spissum obtinet (§§. VIII. et LXII.), atque praeter id aliae insuper eiusdem effectus caussae hic locum habent, ut debilitas, constrictio vasorum, illorumque compressio, ob intestinorum frequentes distensiones (§. LX.).

§. LXVI.

§. LXVI.

Acrimonia et rarefactio humorum a colluie verminosa.

Ad effectus putrefactionis massa humorum in corpore humano pertinere tam acre, quam rarefactum, quod ibidem oboriri potest, satis iam declarabunt proposita in §§. XXIII - XXVIII. Sed fieri potest, vt a vermium in ventriculo et intestinis colluie putredo in humorum massa excitetur (§§. LXIV. et LXV.). Hinc iam consequens erit, quod in casibus colluiei verminosae tam acre, quam rarefactum, humoribus corporis humani inesse queat.

§. LXVII.

Hinc qualis Cacochymia in colluie verminosa?

Ex iis iam, quae hucusque in peculiaribus quibusdam §§. de virtutis humorum, a colluie verminosa oriundis, disputata sunt, satis dilucide apparebit, induci nimirum inde caussas corpori humano, cur fluida ibidem reddantur spissa (§§. LXII. et LXIII.), putrida (§§. LXIV. et LXV.), acria et rara (§. LXVI.)? consequenter etiam quorum referri debeant Cacochymiae hic possibilis species, per sua signa inueniendae in casibus obuiis (§§. III. et V.).

§. LXIX.

Scholion.

Satis mihi nunc probasse videor, quod vermium colluies in ventriculo ac in intestinis vim caussae habeat ad ingenerandam corpori humano cacochymiam (§. LXVII.). Vnde differendi finis nunc quidem

quidem a me fieri posset, nisi etiam cum instituto meo magis convenire videretur, traditam haec tenus theoriam usibus practicis accommodare, atque ob hanc causam sequentia adhuc proponere.

§. LXX.

De Methodo medendi generatim.

Quae igitur sanationem in casibus colluvie verminosae, ortarumque inde Cacochymiae specierum, recte adornandam respiciunt, ea omnia commode reduci poterunt ad sequentia momenta. *Opus hic nempe erit, ut effectus a causa ista morbi determinentur; adeoque praesens in casu Cacochymiae species per sua signa inueniatur.* Porro morbus hoc modo detectus probe comparetur cum causa sua, ut exinde constet, an a remotione morbi producti, vel eius causae, sanatio inchoanda sit. *Tandem nunquam negligenda erunt illa subfida, quae necessaria sunt ad tollendos illos effectus morbosos, qui partim sponte residui post morbum, vel sub eius medicatione ineuitabiles fieri solent.* Vnde iam sequentes fluunt regulae therapeuticae: *Vbi colluvies verminosa spissitudinis humorum fuerit causa, tunc offerri debent antihelmintica, cum resoluentibus remixta, quibus interponi possunt roborantia.* Existente vero putrido, talia tunc eligenda erunt remedia, quae putridum corrigant, illudque optimo, quo fieri potest, modo eliminant, e. g. per diaphoresin, vel diuresin, vel si nihil contraindicauerit, per excretionem aluinam. Cum vero in putrido diversae qualitates adsunt, modo ad spissum, modo ad acre, modo ad rarefactum potissimum reducendae: *corrigentia qualitates humorum*

con-

conuenienter accommodata esse debent; illa itaque erunt vel resoluentia, vel obuoluentia, vel incrassantia. Sed bis omnibus semper interponi debent antihelmintica. Denique Therapeuta animum dirigere debet ad quantitatem, vel qualitatem morbi, ab ista Cacoehymia producti, qui esse potest vel acutus, vel chronicus, benignus, vel malignus. Quo in casu ita procedere debet, ut methodum morbo maiori magis respondentem prius applicet, antequam expulsionem colluviae verminosae addrediatur.

§. LXXI.

Conclusio.

Sicuti generalium usus in doctrinis medicis per omnes partes Medicinae amplissime patet: ita hoc in primis de ea parte Medicinae, quam Therapiam vocare solent, valebit. Quare me nunc quoque de eo, quod ad argumenti pertractati partem practicam pertinet, in §. anteced. satis differuisse puto, eaque propter huic

Dissertationi nunc imponere licebit

F I N E M.



E

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO
C A N D I D A T O
S. P. D
P R A E S E S.

Ame ipso impetrare non possum, vt TE, Praenobilissime Candidate, sine ullo mei erga TE amoris testimonio discedere sinam. Vita certe academicâ, quam per integrum triennium inter nos cum laude egisti, postquam in florentissimo Theatro anatomico Berolinensi in cognitionem structuræ corporis humani inuidendo labore incubueras; diligentia, quam in addiscentis Medicinae fundamentis adhibuisti; morum denique honestas, quam forti constantique animo conseruasti, tot quasi sunt ad TE amandum laudandumque incitamenta, quibus resistere is prosectorio non potest, cui tam virtutis præstantia arridet, quam TE penitus cognoscendi data est facultas et occasio. Quum itaque TE tam laudabiliter gesseris, atque sollemnia etiam examina, quae ad tentandos illos, qui summos Medicinae honores ambitiont, instituuntur, cum laude sustinueris, saeculum inde est, vt cum omnium voluptate dignus iudicatus sis, qui, post defensionem inauguralis Speciminis, Doctoris gradum impetrares. In eo ergo iam est, vt illud ipsum, quod Colluuiem verminosam, quatenus Cacochymiae caussam, sstit, publice propugnes, hoc verò peracto suprema in arte salutari dignitate exorneris. Gratulor TIBI de utroque. Vtere commodis, quae virtus TIBI Tua suppedebat, diu et feliciter, meque demum TVO amori commendatum habeas. Vale! Dab. in regia Fridericiana, d. IX. Martii, clo 15 cclxv.

SVM-

SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS
C A N D I D A T O

DIGNISSIMO

S. D.

D. ADAMVS NIETZKI.

Praeclare rem tuam nunc agis, CANDIDATE DOCTISSIME.
Pro Doctoris enim dignitate legitime adipiscenda disputaturus, tale eruditionis tuae specimen publicum edis, quod partim proprio Marte elaborasti, partim in eodem argumentum pertractasti nouitate, utilitate et grauitate haud mediocriter conspicuum. Neque aliud quid a iuuenie exspectari poterat, qui acceptum a natura ingenium docile continuo litterarum studio percôlere iudicauit et iucundum, et utile, et honorificum sibi fore. Non dubito, quin idem quoque mecum de te sentiant reliqui praceptores, quibus tam Berolini, quam in hac illustri Musarum sede usus es. Ad haec insuper accedunt alia ornamenta tui: virtutis puto amorem morumque elegantiam. Quae omnia quamuis iam magni ponderis sint ad te laudandum quam copiosissime: tantum tamen abest, AMICISSIME BOVZANQVET, vt nunc laudibus tuis inscribam epistolam longam, vt potius iudicom, eam concisam esse oportere; dum merita tua non indigeant verborum copia. Vno

SANCTIS INVENTORIBVS

itaque verbo tibi dicam, prout fieri solet inter amicos bene sibi dicentes. Quemadmodum tibi de hoc eruditionis tuae specimine, quod publice edidisti, ut et de Doctoris dignitate, in te ex merito propediem conferenda, ex animo gratulor: ita insimul precor, vt hinc honoribus acquisitis in Reipublicae, familiae tuae ornatisimae propriumque commodum ac ornamentum per longam annorum seriem, omni prosperitatis genere cumulatissimus fruaris! Atque haec est vera animi mei erga te testimonio! Vale meque amare perge! Dab. in Acad. Frider. Nonis Mart. A. O. R. cccc LXV.

PRAE-

VIR O
PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE
FRID. PETR. BOVSANQVET
HONORES IN MEDICINA SUPREMOS
CAPESSENTI
S. D. P.
IO. NIC. WEISSE R.

Qui cathedral scandis Medicorum fronte serena
Eximias dotes ingeniique tui
Quae polles doces, nec dilectissime Amice,
Paeoniam laurum purpureumque decus,
Insignes titulos et doctoralia iura
Quae labor et virtus promeruere, capis.
Hinc ego gratulor atque iterum hos tibi grator honores
Ex animoque tuis gaudia de studiis
Egregius laetus tibi agresti carmine testor,
Atque precor, felix sit tibi partus honos.
Sic tibi contingant gratissima tempora vitae
Sic votis habeas fata secunda tuis.

Dab. Halaec Magdeb. Nouis Martii MDCLXV.

VIR O

VIRO
PRAENOBILISSIMO PRAESTANTISSIMO
AC DOCTISSIMO,
C A N D I D A T O
HONORVM MEDICINALIVM DIGNISSIMO,
AMICO EX PAVCIS SVAVISSIMO,
S. P. D.
OTTO FRIDERICVS SPROEGEL.

Dum litteris, mi amice! ea nunc omnia mandare, quae amicitia erga TE mea hac data occasione iubet; dum ista ponere, quae per integrum fere lustrum ex TE cognoui bona, cuperem magnopere, illarum exiguum certe transirem finem et modum. Et maxima et iucundissima, mi BOVS ANQVET, ex quo TE amico usum, praestitisti; scientiarum partibus, amicitiae officiis, optime semper respondisti. Praesens TVVM multis lucubrationibus commentatum

speci-

❧ ♪ ❧

specimen iam TVAM in salutari arte testatur eruditioñem; nil valet
itaque meum TVAE praestantiae vterius testimonium. Accipe nunc
ardentissima mea, pro TVA salute, pro fortuna futura, et enixissima
vota, nec eris nunquam felix, dum has meas exaudier Omnipotens
preces. Vale! suauissime Amice, vale! resque TVAS in posterum
semper felicissime age. Faue vero mihi etiam, et sic me diligere
perge, vti TE ego semper amabo. Dedi Halaе, nonis Martii MDCLXV.

VIRO

V I R O
PRAENOBILISSIMO ET PRAESTANTISSIMO
LAVREAM PROPEDIEM OBENTVR
A M I C O S V O
S V A V I S S I M O
S. P. D.
M. A. F R O N I V S,
C O R O N A T R A N S Y L V A N V S S A X O.
M. C.

Si quando vñquam, nunc praecipue, et laetitia exuberat animus, cum
mihi copia sit, infucatae, qua nunquam non erga TE ductus, ami-
citiæ excudere monumentum. Commendauit TE mihi animi
tvi sinceritas, suavitas oris, vultus denique modestia, quæ ingenuum
Iuuenem omnium maxime ornant. Tanta est autem Tua laus, Ami-
ce aestumatisime, vt mea praedicatione non sit opus. Sed venit ille
dies, quae Te, perfunctum officiis litterariis, summo honoris condeco-
rabit ornamento. O festum mihi laetumque diem! Gratulor Tfbi,
charissime BOVSANQVET, quod hanc tandem nauctus sis spartam.
Perge, qua semel coepitus es, via; perge qua Te ardenterissima vota ne-
cessariorum Tuorum vocant. Felix faustumque Tibi iter, felicissimos
pariter negotii Tui omnium longe dignissimi precor successus. Viget in-
terim, et semper in amico corde vigebit memoria Tua. Floreat fa-
ma Tua omniaque Tibi secunda accidant. Vale suauissime Amice,
meique memor esto. Dabam Halae ad Salam, d. VIII. mensis Mart.
A. R. S. cl 15 C CLXV.


00 A 6283



SL

Ratko ✓

DIS
PAJ
VOL



39.

DE
COLLVIE VERMINOSA
 QVATENVS
CACOCHYMIAE CAVSSA

BENIGNITER ANNVENTE SUPREMO NVMINE
 EX AVCTORITATE GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
 IN REGIA FRIDERICIANA

P R A E S I D E

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO
 SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
 POTENTISSIMI PRUSSIAE REGIS A CONSLIIS INTIMIS,
 MEDICINA ET PHILOSOPH. NATVR. PROFESS. PVBL. ORDINARIO
 FACVLT. MEDICAE SENIORE, REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,
 IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAE-
 SIDE, ET REGIAR. SOCIET. SCIENTIAR. ANGLICAN.
 BEROLINENS. ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS

SOLLEMNITER CONSEQUENDO

DIE XI. MARTII A. R. S. CLO IO CCLXV.

H. L. Q. S.

P V B L I C E D I S P V T A B I T

A V C T O R

FRIDERICVS PETRVS BOVSANQVET,
 PETROPOLITANVS.

HALAE AD SALAM

S T A N N O G V R T I A N O.